



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

non permittatis à quoquam indebitè molestari, & molestatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes, faciatis eisdem in vitæ necessariis ab Ecclesiis juxta facultates ipsarum congruè provideri. Datum Laterani 1v. Kal. Aprilis.

E I S D E M.

AD audientiam nostram noveritis pervenisse quòd venerabilis frater noster Archiepiscopus Larissenus Vesinensis ac Damitriado episcopatus & monasteriis Kellia indebitas exactiones imponens, ipsis in aliis injuriis plurimum & molestus existit. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quòd Archiepiscopum memoratum, ut debito & consueto jure contentus, ne ultra id in præfatis episcopatus vel monasteriis usurpare præsumat, ab eorum injuriis & molestatione indebita penitus conquiescens, mentione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo, sicut justum fuerit, compescatis. Datum Laterani 11. Kal. Aprilis, anno tertiodecimo.

ABBATI SANCTI AMBROSII,
& Archidiacono Mediolanensi.

Per litteras venerabilis fratris nostri Episcopi & dilectorum filiorum Capituli Pergamenis ad aures nostras pervenit quòd cum civitas Pergamenis, pro eo quòd Pergamenses cives Ecclesias & ecclesiasticos viros indebitis exactionibus aggravantes, jugum indebitæ servitutis ipsis imponere nitentur in derogationem ecclesiasticæ libertatis, diù supposita fuerit ecclesiastico interdicto, propter divinorum subtractionem quidam indevotiores effecti, amplius durverunt, & sectatores hæreticæ pravitate falsa sui erroris dogmata liberiori fronte proponunt. Cum igitur nuper nobilis vir Lambertinus Potestas civitatis ejusdem satisfactionem super præmissis obrulerit misericordiam postulando, & supradicti Episcopus & Capitulum satisfactionem hujusmodi recipere noluerint absque nostra licentia speciali, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus ad civitatem ipsam personaliter accedentes, & eosdem cives sollicitis exhortationibus inducentes ad concordiam unitatem, à supradicta Potestate ac ipsis civibus recipiatis super prædictis satisfactionem idoneam, prout videritis expedire, relaxantes postmodum sententiam interdicti, & propter hoc excommunicatis absolutionis beneficiis. Tom. II.

cium impendentes. Datum Laterani Nonis Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EPISCOPO GALIPOLENSI,
& sanctæ Sophiae ac de Blakerna
Decanis Constantinopolitanis.

SVam nobis dilecti filij Constantinopolitanus clerus querimoniam destinarunt quòd cum decimæ ac quintædecimæ, quæ inter ipsos dividi de jure debent, triennio jam elapso in grave ipsorum incommodum positæ fuerint in sequestro, medietatem earum venerabili fratre nostro Patriarcha Constantinopolitano sibi vendicare volente contra statutum dilecti filij nostri Petri tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, qui tunc in partibus illis legationis fungens officio quartam partem ipsarum, cum his quæ in castro Danij ad dictum Patriarcham pariter & ad clerum spectabant, eidem solvendam decrevit, hæcenus dividi, prout decuit, nequiverunt. Propter quod ex earum defectu magnam se ipsi queruntur necessariorum penuriam sustinere. Quamquam dilectus filius magister B. procurator Patriarchæ prædicti negaverit aliquod factum fuisse per eundem Legatum super divisione hujusmodi constitutum, maximè cum quintædecimæ nondum esset Ecclesiis deputata, nec ipse legationis officio fungeretur quando ad preces Clericorum obtinuit ut intuitu paupertatis eorum idem Patriarcha maneret quarta decimarum parte contentus. Vnde ipsi dedimus in mandatis ut si preces cleri veritate nituntur, statuta decimarum & quintarumdecimarum hujusmodi parte contentus, non impediatur nec faciat impediri quò minus idem clerus assignatas à memorato Legato ex eisdem percipiant cum integritate debita portiones. Quocirca discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si ipse quod mandavimus neglexerit adimplere, vos eum ad id sublato appellationis obstaculo qua convenit distractione cogatis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcopo, cum eorum &c. Datum Laterani viii. Idus Aprilis, anno tertiodecimo.

MORELLO TULLENSI
Canonico.

CVm olim de præbenda Tullensi canonicè investitus, stallum in choro & vocem in Capitulo non haberes, ad iudices quosdam litteras super hoc apostolicas impetraisti: coram quibus Capitulum
H h h

Epist. 44.
Pro clero Constantinop. adversus Patriarcham.

Epist. 42.
Venerabilis Archiepiscopus Larissenus Vesinensis ac Damitriado episcopatus & monasteriis Kellia indebitas exactiones imponens, ipsis in aliis injuriis plurimum & molestus existit.

Epist. 43.
Venerabilis frater noster Episcopus Pergamenis ad aures nostras pervenit quòd cum civitas Pergamenis, pro eo quòd Pergamenses cives Ecclesias & ecclesiasticos viros indebitis exactionibus aggravantes, jugum indebitæ servitutis ipsis imponere nitentur in derogationem ecclesiasticæ libertatis, diù supposita fuerit ecclesiastico interdicto, propter divinorum subtractionem quidam indevotiores effecti, amplius durverunt, & sectatores hæreticæ pravitate falsa sui erroris dogmata liberiori fronte proponunt.

Epist. 45.
Confirmatur ei præbenda.